

Leo P.P. XIII

Catholic church. Holy see

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE


QUIBUS

EXTRAORDINARIUM IUBILAEUM INDICITUR

IN USUM CLERI


PRACTICIS NOTIS ILLUSTRATAE.

CURA A. KONINGS, C.SS.R.



NEO-EBORACI,
CINCINNATI, S. LUDOVICI, EINSIDLÆ:
BENZIGER FRATRES,
SUMMI PONTIFICIS TYPOGRAPHI.
1881.

П


THE LIBRARY
OF CONGRESS
WASHINGTON

APPROBATIONES.

Nihil Obstat.

EL. SCHAUER, C.SS.R.,
Super. Prov. Balt.

BALTIMORÆ FER. 2 PASCHÆ, 1881.

Imprimatur.

JOANNES CARD. McCLOSKEY,
ARCHIEPISCOPUS NEO-EBORACENSIS.

Neo-Eboraci, 22 Aprilis, 1881.

Notae ad calcem Apostolicarum Litterarum distinctis numeris subjiciuntur, qui numeri respondent iis quos ipsis Litteris Apostolicis, suis locis, inseruimus. Maximam partem desumtae sunt ex ephemeride: " Nouvelle Revue Théologique."

VENERABILIBUS FRATRIBUS
PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS CUM APOSTOLICA SEDE PACEM ET COMMUNIONEM HABENTIBUS, ET DILECTIS FILIIS UNIVERSIS CHRISTI FIDELIBUS SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES

ET DILECTI FILII.

MILITANS Jesu Christi Ecclesia, quae hominum generi maxime potest salutem incolumitatemque praestare, tam graviter in hac calamitate temporum exercetur, ut in novas quotidie procellas incurrat, vere comparanda cum Genesarethana illa navicula, quae, dum Christum Do-

minum eiusque discipulos olim veheret, maximis turbinibus ac fluctibus quatiebatur. Revera qui cum catholico nomine gerunt inimicitias, ii nunc numero, viribus, consiliorum audacia praeter modum insolescunt; neque satis habent doctrinas caelestes palam abdicare, sed summa vi impetuque contendunt, ut Ecclesiam aut omnino a civili hominum consociatione repellant, aut saltem in publica populorum vita nihil posse cogant. Ex quo fit, ut illa in fungendo munere, quod ab Auctore suo divinitus accepit, magnis undique se difficultatibus implicatam ac retardatam sentiat.

Nefariae huius coniurationis acerbissimi fructus in Pontificem Romanum maxime redundant; cui quidem, legitimis iuribus suis deiecto

atque in exercendis maximis muneribus multimodis impedito, figura quaedam regiae maiestatis, quasi per ludibrium, relinquitur. Quapropter Nos, divinae providentiae consilio in hoc sacrae potestatis fastigio collocati, Ecclesiaeque universae procuratione districti, et iamdiu sentimus et saepe diximus, quantum haec, in quam Nos temporum vices compulerunt, aspera sit et calamitosa conditio. Commemorare singula nolumus: verumtamen manifesta sunt omnibus, quae in hac Urbe Nostra plures iam annos geruntur.—Hic enim in ipso catholicae veritatis centro sanctitati religionis illuditur, et dignitas Apostolicae Sedis laeditur, et in crebras profligatorum hominum iniurias pontificia maiestas obiicitur.—Erepta potes-

tati Nostrae plura sunt, quae Decessores Nostri pie liberaliterque instituerant, ac Successoribus suis inviolate servanda transmiserant; neque temperatum est, quin iura laederentur sacri *Instituti christiano nomini propagando*; quod quidem non de religione solum, sed etiam de humanitate gentium praeclare meritum, nulla unquam vis superiorum temporum violaverat.—Templa catholici ritus clausa vel profanata non pauca, haeretici ritus multiplicata: doctrinarum pravitas scribendo agendoque impune diffusa. — Qui rerum summa potiti sunt, dant saepe operam constituendis legibus in Ecclesiam nomenque catholicum iniuriosis: idque in conspectu Nostro, quorum curae omnes ex Dei ipsius mandato vigilare in eo debent,

ut christiana res incolumis et Ecclesiae iura salva sint.—Nullo autem respectu ad illam, quae est in Romano Pontifice, docendi potestatem, ab ipsa institutione iuventutis auctoritatem Nostram intercludunt; ac si Nobis est permissum, quod nulli privatorum interdicitur, in institutionem adolescentium scholas sumptibus Nostris aperire, in eas ipsas legum civilium vis et severitas invadit.—Quarum rerum funesto spectaculo multo vehementius commovemur, quod succurrendi facultas, quam maxime optaremus, Nobis non suppetit. In potestate enim sumus verius inimicorum quam Nostra; atque illa ipsa, quae Nobis conceditur, usura libertatis, cum eripi aut imminui alieno possit arbitrio, certum non habet stabilitatis constantiaeque firmamentum.

Interea quotidiano rerum usu manifestum est, malorum contagionem magis magisque serpere per reliquum christianae reipublicae corpus, et ad plures propagari. Etenim aversae ab Ecclesia gentes in miserias incidunt quotidie majores; atque ubi semel extincta aut debilitata fides catholica sit, finitimum est iter ad opinionum insaniam rerumque novarum cupiditatem. Eius autem, qui Dei vices in terris gerit, maxima et nobilissima potestate contempta, perspicuum est, nullos hominum auctoritati frenos superesse tam validos, qui possint indomitos perduellium spiritus compescere, aut ardorem dementis libertatis in multitudine coercere.—Atque his de caussis civilis hominum societas, etsi magnas iam calamitates suscepit, majorum

tamen periculorum suspicione terretur.

Quo igitur Ecclesia queat inimicorum conatus refutare, suumque munus, utilitatis omnium caussa, perficere, multum laboret necesse est, multumque contendat. In hoc autem certamine vehementi et vario, in quo et divina agitur gloria, et de salute animorum sempiterna dimicatur, frustra esset omnis hominum virtus et industria, nisi caelestia adiumenta suppeditarentur opportuna temporibus.—Quare in trepidis afflictisque christiani nominis rebus, hoc semper laborum ac solicitudinum perfugium esse consuevit, summis precibus a Deo postulare, ut opitularetur laboranti Ecclesiae suae, impertiretque depugnandi virtutem, triumphandi potestatem.—Hunc igi-

tur Nos praeclarum morem disciplinamque maiorum imitati, cum probe intelligamus, tanto Deum magis esse exorabilem, quanto in hominibus maior est vis poenitendi, gratiaeque cum eo reconciliandae voluntas, idcirco, caelestis praesidii impetrandi atque animorum iuvandorum caussa, sacrum Iubilaeum extra ordinem catholico orbi per has Litteras Nostras indicimus.

Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, universis et singulis utriusque sexus Christi fidelibus plenissimam peccatorum omnium indulgentiam, ad instar generalis Iubilaei, concedimus, si modo effecerint, qui

in Europa agunt, a proximo die 19 huius mensis Martii, sacro ob memoriam Sancti Iosephi beatae Mariae Virginis Sponsi, ad diem primum Novembris, solemnem ob memoriam caelitum universorum inclusive ; qui vero extra Europam, ab eodem proximo die 19 huius mensis Martii usque ad postremum diem labentis anni MDCCCLXXXI inclusive, quae infra praecepta sunt : scilicet quotquot sunt Romae cives vel hospites Basilicam Lateranensem, item Vaticanam et Liberianam bis adeant (1), ibique per aliquod temporis spatium pro catholicae Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis prosperitate et exaltatione, pro extirpatione haeresum omniumque errantium conversione, pro christianorum Principum concordia ac totius fidelis populi pace

et unitate, secundum mentem Nostram pias ad Deum preces effundant (**2**); iidem uno die esurialibus tantum cibis utentes ieiunent, praeter dies in quadragesimali indulto non comprehensos, aut alias simili stricti iuris ieiunio ex praecepto Ecclesiae consecratos (**3**): praeterea peccata sua rite confessi (**4**) sanctissimum Eucharistiae sacramentum suscipiant (**5**), atque eleemosynae nomine in pium aliquod opus quidquam conferant (**6**). Qua in re ea Instituta nominatim commemoramus, quorum tuitionem caritati Christianorum haud ita pridem per Litteras commendavimus, nimirum *Propagationem Fidei*, *Sacram Iesu Christi Infantiam* et *Scholas Orientis*; quas quidem in remotis etiam et silvestribus plagis insti-

tuere et provehere, ut pares necessitatibus sint, optatissimum Nobis destinatumque in animo est.—Ceteri vero omnes extra Urbem ubicumque degentes tria templa ab Ordinariis locorum vel eorum Vicariis seu Officialibus, aut de eorum mandato et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent designanda, bis, vel si duo tantum sint templa, ter, aut si unum, sexies, dicto temporis, intervallo, adeant (7); item alia opera, quae supra commemorata sunt, peragant (8).—Quam indulgentiam (9) etiam animabus, quae Deo in caritate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari posse volumus.—Praeterea locorum Ordinariis indulgemus, ut Capitulis et Congregationibus tam saecularium quam

regularium, sodalitatibus, confraternitatibus, universitatibus seu collegiis quibuscumque memoratas Ecclesias processionaliter visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum pro suo prudenti arbitrio reducere queant (**10**).

Concedimus vero, ut navigantes et iter agentes, ubi ad sua domicilia, seu alio ad certam stationem sese receperint, visitata sexies Ecclesia maiore aut parochiali (**11**), ceterisque operibus, quae supra praescripta sunt, rite peractis, eamdem indulgentiam consequi possint.—Regularibus vero personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis, saecularibus vel regularibus, qui carcere, infirmitate corporis, aut alia qualibet

iusta caussa impediantur, quominus memorata opera, vel eorum aliqua praestent, concedimus atque indulgemus, ut ea Confessarius in alia pietatis opera commutare possit (**12**), vel in aliud proximum tempus prorogare (**13**), facta etiam potestate dispensandi super Communione cum pueris nondum ad primam Communionem admissis (**14**).

Insuper universis et singulis Christi fidelibus, tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus ac regularibus cuiusvis Ordinis et Instituti etiam specialiter nominandi, facultatem concedimus, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum Confessarium tam saecularem quam regularem ex actu approbatis (**15**); qua facultate uti possint etiam Moniales, Novitiae,

aliaeque mulieres intra claustra degentes, dummodo Confessarius approbatus sit pro Monialibus. Confessariis autem, hac occasione et durante huius Iubilaei tempore tantum, omnes illas ipsissimas facultates (**16**) largimur, quae a Nobis tributae fuere in alio Iubilaeo concesso per Nostras Litteras Apostolicas datas die XV mensis Februarii anno MDCCCLXXIX, quae incipiunt "*Pontifices Maximi*," iis tamen omnibus semper exceptis, quae in iisdem litteris a Nobis excepta fuere.

Facultates de quibus hic sermo est, in dictis Litteris : Pontifices Maximi, *his conceptae sunt verbis :* "Qui" confessarius "eosdem" (fideles) "vel easdem" (moniales), "intra dictum temporis spatium, ad confessionem apud ipsum peragendam ac-

cedentes animo praesens Iubilaeum consequendi, et reliqua opera ad illud lucrandum necessaria adimplendi, hac vice (**16** *sub 2. 3.*) et in foro conscientiae dumtaxat (**17**) ab excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine quavis de caussa latis seu inflictis, etiam Ordinariis (**18**) locorum et Nobis seu Sedi Apostolicae *speciali licet modo* reservatis, et qui alias in concessione quantumvis ampla non intelligerentur concessi, necnon ab omnibus peccatis et excessibus quantumcumque gravibus et enormibus, etiam iisdem Ordinariis (**18**) ac Nobis et Sedi Apostolicae, ut praefertur, reservatis, iniuncta ipsis poenitentia salutari aliisque de iure iniungendis, et, si de haeresi agatur,

abiuratis prius ac retractatis erroribus, prout de iure, absolvere: necnon vota quaecumque etiam iurata ac Sedi Apostolicae reservata (castitatis, religionis (**19**), et obligationis, quae a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agitur de praeiudicio tertii, semper exceptis, necnon poenalibus, quae praeservativa a peccatis nuncupantur, nisi commutatio futura iudicetur eiusmodi, ut non minus a peccato committendo refraenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare, et cum poenitentibus huiusmodi in Sacris Ordinibus constitutis, etiam regularibus, super occulta irregularitate ad exercitium eorundem Ordinum, et ad superiorum assecutionem, ob censurarum violationem dumtaxat contracta, dispensare possit et valeat (**20**).

Non intendimus autem per praesentes super alia quavis irregularitate sive ex delicto sive ex defectu, vel publica vel occulta, aut nota, aliave incapacitate aut inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae: neque etiam derogare Constitutioni cum appositis declarationibus editae a fel. rec. Benedicto XIV Praedecessore Nostro, quae incipit *Sacramentum Poenitentiae* (**21**); neque demum easdem praesentes iis qui a Nobis et Apostolica Sede, vel ab aliquo Praelato, seu Iudice ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse de-

clarati vel publice denunciati fuerint, nisi intra praedictum tempus satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere. Quod si intra praefinitum terminum, iudicio confessarii, satisfacere non potuerint, absolvi posse concedimus in foro conscientiae ad effectum dumtaxat consequendi indulgentiam Iubilaei, iniuncta obligatione satisfaciendi statim ac poterunt."

Prosequuntur Litterae Apostolicae praesentis Iubilaei.

Quo autem fructus salutares, qui Nobis propositi sunt, ex hoc sacro Iubilaeo tutius atque uberius percipiantur, hoc magnopere studeant universi, ut magnam Dei Matrem praecipuo per id tempus obsequio cultuque demereantur.—Ipsum au-

tem sacrum Iubilaeum in tutelam fidemque tradimus ac commendamus sancto Iosepho, castissimo beatae Virginis Mariae Sponso, quem gloriosae recordationis Pius IX P. M. totius Ecclesiae Patronum declaravit, et cuius opem suppliciter quotidie implorari ab omnibus Christi fidelibus optamus.—Praeterea cunctos hortamur, ut peregrinationes suscipere pietatis caussa velint ad sanctorum caelitum aedes, quae peculiari religione in variis regionibus sanctae ac venerabiles haberi consueverint: quas inter in Italia praestat sacrosancta Virginis Mariae Lauretanae domus, quam altissimorum mysteriorum memoria commendat.

Quapropter in virtute sanctae obedientiae praecipimus atque man-

damus omnibus et singulis Ordinariis locorum, eorumque Vicariis et Officialibus, vel ipsis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, ut cum praesentium Litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa in sua quisque ditione publicanda curent, populisque etiam verbi Dei praedicatione, quoad fieri possit, rite praeparatis, Ecclesiam seu Ecclesias visitandas ut supra designent.

Ut autem praesentes Litterae, quae ad singula loca deferri nequeunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut praesentium transumptis vel exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo munitis personae in dignitate ecclesiastica constitutae, ubicumque locorum ea-

dem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XII Martii A. MDCCCLXXXI, Pontificatus Nostri anno Quarto.

LEO PP. XIII.

---

(1) Visitatio ecclesiarum.

1. In Brevi non praescribitur, ut tres illae ecclesiae uno eodemque die visitentur. Visitationes igitur in tot quot cuique libuerit, vices distribui poterunt.

2. Nec Jubilaei Litteris cavetur, ne uno eodemque die una eademque ecclesia bis, aut in locis ubi

duae tantum ecclesiae habentur, ter, vel in iis ubi una tantum adest, sexies adeatur. Quod si in Jubilaeo ordinario res aliter se habet, id inde est quod tunc praescribi soleat, ut uno eodemque die quatuor ecclesiae, eaeque diversis diebus, visitentur: quae clausula repetitam uno eodemque die unius ejusdemque ecclesiae visitationem necessario excludit.

3. Ad dubium (4um): "Quatenus quatuor in die visitationes praescriptae in *eadem* ecclesia peragi debeant, quaeritur num, ad hujusmodi visitationes inter se distinguendas, necesse sit post unamquamque ecclesiâ egredi, an vero sufficiat, in eadem ecclesia manendo, de uno in alium illius locum transire, aut etiam tantummodo assur-

gere, utr pro stationibus S. Viae Crucis vulgo usu venit?" S. Poenitentiaria 6 Febr. 1875, respondit: "Necesse esse egredi ab ecclesia." Ex quo Responso, quemadmodum et ex aliis, consequitur conditionem eamdem ecclesiam bis (aut si duae tantum habentur ecclesiae, ter, vel si una solummodo, sexies) visitandi, verificari, si quis, peracta una visitatione, ecclesiâ egressus eam iterum ad aliam visitationem peragendam ingreditur, nec requiri ut iter ad ecclesiam repetatur.

Pariter si quis ad lucrandum Jubilaeum confitetur aut S. Communionem recipit, eadem occasione unam e visitationibus peragere poterit, quin ex ecclesia egrediatur. Idem resolve de eo qui Missam de praecepto audit.

Resolutiones sub hoc num° datae ruri praesertim ubi fideles procul ab ecclesia degunt aut sacerdotis copiam singulis dominicis non habent, vel etiam in urbibus ubi ecclesiae visitandae multum a se invicem distant, usu venire poterunt.

4. *Ecclesia* visitetur oportet: quae conditio impletur etiam dum visitatur aliquod sacellum quod *partem* facit ecclesiae cujus visitatio requiritur (Prinzivalli, Decr. S. C. Indulg. n. CDXLIV.); non vero dum visitatur oratorium domesticum religiosorum, licet murus ecclesiae partem ejusdem efficiat, et per fenestram aut aliter prospectus ex eo in ecclesiam detur. Ita saltem resolvendum est casu quo oratorium, etsi fidelibus via ad illud ex ecclesia pateret, principaliter, ut asso-

let, ipsius religiosi Instituti commodo destinatum est. Nemo enim contendet tale oratorium, non dico physice, sed in morali hominum aestimatione partem ecclesiae formaliter sumptae dici valere.

Moniales tamen in papali seu stricta clausura viventes quibus a confessario ecclesiarum visitatio in propriae ecclesiae visitationem commutatur, hanc ex loco ubi Missam audire solent, visitare possunt.

5. *Devota* esse debet ecclesiae visitatio, i. e. animo honorem Deo aut Sanctis ejus exhibendi instituta (Ben. xiv. c. *Inter praeteritos*, § 76.). Porro etiam in itinere ad ecclesiam (quod tamen nemo pedes facere tenetur) devotio eo sensu requiri videtur, ut, quemadmodum loquitur idem Ben. xiv. (ib.), "mo-

deste incedatur, atque . . . aliquis religionis actus exerceatur."

(2) ORATIO DEBET ESSE:

1. Pia i. e. reipsa interior.

2. Vocalis. Surdo-mutis tamen confessarii preces vocales in alia pia opera aliquo modo externe manifestata commutare valent (Prinziv. n. DCXXV).

3. Facta ad intentiones in Brevi expressas. Non tamen opus est, ut orantes harum in specie sibi sint conscii: sufficit ut orent ad intentionem S. Pontificis.

4. Per aliquod temporis spatium perdurans. Sufficiunt 5 *Pater* et *Ave* vel preces his quantitate aequivalentes.

(3) Jejunium requisitum.

1. Excludit usum non carnis tantum, sed ovorum etiam et lacticiniorum. Patet ex ipsis Brevis verbis: "*esurialibus tantum* cibis utentes jejunent." Esuriales namque cibi, teste Ben. xiv. (c. *In suprema*, § 2.), ii sunt quos Ecclesia diebus quibus stricti juris jejunium ("*black fast*"), servari praescribitur, non interdicit: interdicit autem his diebus et carnes, et ova, et lacticinia.

2. Expostulat, ut non alii quam cibi esuriales edantur iis etiam diebus quibus, vi indulti quadragesimalis seu cujuscumque privilegii (S. Poenit. 26 Febr. 1879) vel consuetudinis (S. Poenit. 4 Mart. 1879), ovis et lacticiniis vesci licet.

3. Servari potest quocumque die quo ex praecepto Ecclesiae ova et lacticinia non vetantur, vel vi indulti quadragesimalis permittuntur. Breve enim dum requirit ut fideles uno die jejunent, excipit tantum dies "in quadragesimali indulto *non* comprehensos" seu ab eo exclusos, et dies "simili stricti juris jejunio ex praecepto Ecclesiae consecratos."

4. Cum sit conditio sine qua Jubilaeum nemo consequi potest (Ben. xiv. c. *Inter praeteritos*, § 73.), ab illis etiam servandum qui ratione aetatis, laboris, valetudinis, etc., ad illud non tenentur aut ab eo dispensati fuere. Excipiuntur tantum illi quorum favore, sufficienti de causa, a confessario in aliud opus commutatur. Causa vero, ut sit sufficiens, juxta Doctores gravior

esse debet eâ quae exigitur ut quis a jejunio ab Ecclesia praecepto dispensetur. "Ratio est," ait Viva apud Loiseaux (*Traité du Jubilé*, p. 269), "quia lex ecclesiastica de jejunio obligat etiam nolentes; unde, ne sit nimis gravis, cessat obligare, si adsit causa sufficiens et proportionata. At ad jejunium Jubilaei non obligantur nisi volentes, et veluti ex tacito pacto, quia solum obligantur qui volunt Jubilaeum lucrari: major autem causa requiritur, ut jejunium sit valde onerosum et difficile volenti quam nolenti. Ergo major causa requiritur, ut possint jejunia Jubilaei commutari, quam ut quis a superiore in jejuniis ecclesiasticis dispensetur."

(4) Confessio.

1. Annua ad lucrandum Jubilaeum non sufficit (S. Poenit., 25 Jan. 1875, sub. 4.), nec

2. Sufficit ea quae non esset *formaliter* integra aut sine debito dolore peracta.

3. Cum opus quod ad consequendum Jubilaeum ultimo loco ponitur, in statu gratiae peragendum sit, nova instituenda est confessio ab iis qui post confessionem et ante ultimi operis positionem in mortale lapsi sunt: nec sufficit in hoc casu contritio (Ben. xiv. c. *Inter praeteritos*, § 73—75).

4. Peragenda est etiam ab iis qui sunt in statu gratiae (Prinziv. n. ccxli.); his vero necessaria haud est absolutio (Id. n. dxxi.).

(5) Communio.

1. Exceptis infra [(12) sub. 4. *b.*] excipiendis, necessaria est omnibus.

2. Sacrilega non sufficit, nec

3. Paschalis praecepti implendi causâ suscepta (S. Poenit. 25 Jan. 1875 sub. 4).

(6) Eleemosyna.

1. Ad consequendum Jubilaeum a[i]. 1879, sufficiebat eleemosynam vel in pauperes vel in pium aliquod opus erogare: ad praesens vero lucrandum optioni huic locus non datur; sed requiritur ut in pium aliquod opus quidquam conferatur. Quare etiam

2. De praesenti Jubilaeo obtinendo haud certus foret qui *quam-*

libet eleemosynam contulisset: non desunt enim Auctores qui, dum de auxilio pio operi praestando agitur, negant *quantamvis* eleemosynam sufficere. Ita Theod. a Spir. Sancto et Passerinus ex S. Thoma (apud S. Alph. L. vi. n. 538, q. xi.). En verba S. Thomae (Suppl. q. 25. a. 2 ad 3): "Quando datur indulgentia . . . . . ei qui dat auxilium ad fabricam ecclesiae, intelligitur tale auxilium, quod sit *conveniens* ei qui auxilium dat" i.e., aliquo modo proportionatum ejusdem facultatibus, ut patet ex sequentibus; "et secundum quod accedit ad hoc, secundum hoc plus vel minus de indulgentia consequitur. Unde etiam aliquis pauper dans unum denarium, consequitur totam indulgentiam: non autem dives, quem non

decet ad opus tam pium et fructuosum tam parum dare: sicut non diceretur rex alicui homini auxilium ferre, si ei obulum daret." Num forte vocula: "*quidquam* conferant" in Brevi adhibita, vel etiam *non-determinatio* operis pii particularis in quod quidquam conferendum sit, benigniorem suadent interpretationem? Ob regulam de indulgentiarum conditionibus stricte interpretandis, strictiorem significationem divitibus hujus saeculi saltem consulendam esse censeo.

3. Cum, quemadmodum jejunium, ita et eleemosyna sit conditio sine qua non Jubilaei, omnes eam largiri tenentur. Unde nihil habentes ab aliis quidquam postulare debent: v.g., filii familias a parentibus; uxores a maritis; religiosi a

suis superioribus; pauperes a non pauperibus. Quod si nihil impetrare valuerint, a confessario commutationem hujus operis in aliud obtinere curabunt. Satisfaciunt tamen praefati, si, ipsorum nomine et ipsis scientibus ac consentientibus, ab aliis (v.g. a parentibus pro filiis, a superioribus pro religiosis) eleemosyna erogetur.

4. Haud opus est, ut quis *per se ipsum* aliquid in pium opus conferat: potest namque id per alium facere. Hujus tamen infidelitas aut negligentia mandantem, juxta plures (vide S. Alph. L. vi. n. 538, q. xi. Dub. 2), Jubilaeo privaret, puta si mandatarius eleemosynam vel sibi retineret aut parentibus amicisve donaret, vel elapso jam Jubilaei tempore erogaret.

(7) Ecclesiarum designatio.

1. Ordinarii arbitrio relinquitur in locis ubi plures quam tres ecclesiae habentur. Ubi tres tantum adsunt, pauciores designari non possunt. Nulla adest obligatio designandi ecclesiam cathedralem vel principalem loci. Sed Ordinariis interdicitur ne pro majori licet fidelium facilitate, plures quam tres designent. S. Pœnit, 4 Mart. 1879.

2. Designari ab Ordinario poterunt oratoria publica, i. e. talia quae cultui publico sunt destinata et in quibus Missa celebrari solet.

3. Sufficit visitatio ecclesiae (designatae) vel ecclesiarum (designatarum) alterius parochiae, ejusdem tamen dioecesis.

4. Non vero sufficit visitatio ec-

clesiae in parochia alterius dioecesis, nisi quis ibi *moretur*. Non tamen requiritur ut ibi *domicilium* habeat: necessarium vero est servare ordinationes Ordinarii alterius istius dioecesis. Quod si quis, parte visitationum in dioecesi sui domicilii peracta, in aliam se transferat, ibi novum acquisiturus domicilium, poterit in hac numerum visitationum, juxta praescriptum Ordinarii novi domicilii, complere. Quin et opera quaecumque incepta uno in loco impleri et perfici possunt in alio, ubi quis vitam degere debeat ratione officii, servitii, vel matrimonii (S. Poenit. ad dub. v., vi., viii. *Acta S. Sedis, T.* viii., *p.* 486.)

(8) Opera praescripta.

1. Consecutioni Jubilaei obstat omissio vel unius ex operibus praescriptis.

2. Non requiritur, ut eo peragantur ordine quo in Brevi recensentur.

3. Nec opus est ut peragantur in statu gratiae, excepto tamen illo quod ultimo loco perficitur.

(9) Quoties quis Jubilaeum lucrari valeat.

Ex declaratione data circa Jubilaeum anni 1879 cui praesens in omnibus fere simile est, constat Jubilaeum, *quoad plenariam Indulgentiam*, bis aut pluries lucrifieri posse injuncta opera bis aut pluries iterando; semel vero tantum, id est

prima vice, *quoad favores* "*eidem Jubilaeo adjunctos*, nempe absolutiones a censuris et casibus reservatis, commutationes aut dispensationes" (S. Poenit. 26 Febr. 1879, sub IV.).

(10) PROCESSIONES.

1. Requiruntur processiones proprie dictae, et iis tantum in locis in quibus *more solito* haberi nequeunt, in habitu ordinario et sine consuetis caeremoniis peragi possunt.

2. Ex declaratione data circa Jubilaeum anni 1879 patet, "Christifidelibus cum Capitulis, Congregationibus, Confraternitatibus, *necnon cum proprio Parocho aut sacerdote ab eo deputato* ecclesias pro lucrando Jubilaeo processionaliter visitantibus, applicari posse *ab Ordinariis*

Indultum in Litteris Apostolicis iisdem Capitulis, Congregationibus, etc. concessum" (S Poenit. 26 Febr. 1879, sub II.).

(11) NAVIGANTES ET ITER AGENTES.

Si, elapso jam Jubilaei tempore, ad domicilii sui locum aut ad stationem aliquam se receperunt (nam de his solis hic agitur), neque debent, neque possunt visitare ecclesias ab Ordinario designatas: nam ipse S. Pontifex designavit ecclesiam quam sexies visitare debeant, nimirum ecclesiam majorem seu parochialem sui domicilii vel stationis ad quam se receperint.

(12) Facultas opera praescripta commutandi.

1. In Brevi Jubilaei 1879 haec facultas his exprimitur verbis: "Quocumque impedimento detentis, qui memorata opera vel eorum aliqua *praestare nequiverint*." In praesentis vero Jubilaei Litteris legitur: "Qui ..... aut alia qualibet causa impediantur, quominus memorata opera, vel eorum aliqua praestent." Verba praesentis Brevis, litteram spectanti, verbis praecedentis mitiora videri poterunt. Nobis eâdem in utroque Brevi significatione venire videntur. Prudenter tamen confessarius commutationem non aliis concedet quam, non dico physice, sed moraliter *impotentibus* ("qui ... *praestare ne-*

quiverint"), et non iis quibus opera aut opus simpliciter, seu non excessive, difficile est. Sic jejunium puero, non item cuicumque sexagenario, excessive difficile dici potest.

2. Opera praescripta commutari nequeunt in opera alio quocumque titulo debita, puta eleemosyna in restitutionem quam quis causae piae deberet.

3. Commutatio fieri debet in opus moraliter saltem aequale.

4. Inter opera quae commutari nequeant, recensenda sunt:

a. Confessio (Ben. xiv. c. *Inter praeteritos*, § 53).

b. S. Communio (Ben. xiv., *ib.*), nisi agatur de fidelibus habitualiter infirmis, chronicis, ob physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentibus, et non

morantibus in communitate. Horum enim favore Pius IX., 18 Sept. 1862 (*Acta S. Sedis*, T. II. p. 538), commutandi potestatem concessit confessariis ad lucrandas "omnes et singulas Indulgentias plenarias" (Jubilaeum non excipiens), "concessas vel in posterum concedendas." Cum praefatum a[i] 1862 decretum recipiendae Communionis impossibilitati ex impotentia e domo egrediendi existenti consulere voluerit, quibusdam videtur confessarium commutandi facultate uti non valere casu quo hujusmodi chronicis S. Communio in sua ipsorum domo affertur seu afferenda offertur.

Quod si quis, peractis modo caeteris operibus, ultimo Jubilaei die communicaturus, ob fractum casu fortuito jejunium naturale aut ob

supervenientem corporis indispositionem, a S. Communione abstinere cogeretur, confessarius huic Jubilaeum prudentius prorogabit potius quam commutabit.

c. Oratio occasione visitationis ecclesiarum praescripta, commutari nequit, licet ipsa visitatio commutetur (Ben. xiv. c. *Inter praeteritos*, § 53).

5. Commutationes, quemadmodum et dispensationes ac absolutiones de quibus infra sub (16), extra actum confessionis exerceri nequeunt. Ita Ben. xiv. (c. *Convocatis*, § 25) : in interpretando autem Jubilaei tum ordinarii, tum extraordinarii Indulto servandae sunt regulae a praefato Ben. xiv. datae, quoties iis non adversatur Breve Jubilaei pro tempore currentis (Prinziv. n. DCXXII.).

6. *Quaeres* num ecclesiarum visitatio commutari valeat favore religiosarum non viventium in stricta, i. e., papali, clausura? *Resp.* Cum *Nouv. Rev. Théol.* (T. xi. p. 221) existimamus posse favore earum quae vi Regulae, aut sub episcopali censura vel praecepto, ad clausuram ita tenentur, ut non nisi exceptionaliter ac in casibus tantum a Regula aut Episcopo determinatis exire ipsis liceat: non vero posse favore earum quae, quamvis absque licentia superiorissae exire vetantur, clausurae tamen ne vi quidem Regulae subjectae sunt, quales v. g. sunt illae quae Missae in ecclesia parochiali assistunt, infirmis in domibus privatis inserviunt, etc. De illis enim solis, non de his vere dici posse videtur quod impediantur quominus ecclesias designatas visitent.

(13) Jubilaei prorogatio.

Confessarius hac facultate uti poterit favore eorum qui temporaneo obstaculo impediuntur quominus opera praescripta aut eorum aliquod intra tempus Jubilaei perficiant. Prorogatio tamen non in tempus nimis longum extendenda est, cum concedenda dicatur "in aliud *proximum* tempus."

(14) Puerorum communio.

Pueris qui ad primam Communionem nondum accesserunt, hanc in aliud opus *commutare* non est necessarium: in Brevi enim conceditur facultas cum eis super hac conditione "*dispensandi.*"

(15) Monialium in eligendo confessario privilegium.

1. Nomine *monialium* quae hoc privilegio *indigent*, certo veniunt illae quae vota solemnia professae ac in clausura papali vivunt, quales apud nos, ex S. Sedis declaratione, solae sunt Moniales a Visitatione Beatae Virginis nuncupatae, et, ex his, solae illae quae in monasteriis locorum Georgetown, Mobile, S. Ludovici et Baltimorae degunt. "Vota" autem "quae" in his Foederatis Statibus "ab aliis monialibus in monasteriis jam erectis emittuntur," habenda sunt "simplicia, excepto casu quo Rescriptum pro votis solemnibus emittendis ab Apostolica Sede obtinuerint" (Conc. Plen. Balt. II. a. 419). Eodem privilegio indigere

mihi quidem videntur illae quae vota tantum simplicia emittunt, in illis dioecesibus ubi Ordinarius harum etiam confessionem, *idque sub poena nullitatis absolutionis*, excipere vetat, nisi speciali ad id jurisdictione obtenta. *Mens* enim est S. Sedis, ut etiam erga moniales non stricte dictas ab Episcopis serventur ea, quae jure communi pro stricte dictis hac in re statuuntur (Vide meam Moralem, edit. 4ª, n. 1399, q. 2°.). Si quis igitur Ordinarius non stricte dictas hac in re stricte dictis fecerit pares, illis jus commune applicasse dicendus est, et eodem illae jure communi ac stricte dictae in Jubilaeo reguntur. Quare neque hae neque illae alium sibi, vi Jubilaei, eligere poterunt confessarium quam actu pro Monialibus approbatum.

2. Non tamen opus est, ut confessarius sit approbatus pro Monasterio cui adscripta est monialis a qua eligitur. Sufficit ut actu approbatus sit pro Monialibus in genere alicujus dioecesis, aut pro quolibet particulari ejusdem monasterio.

3. Praesentis sicut et proxime superioris Jubilaei Litterae clausulam habent, ut moniales eligere sibi possint confessarium ex *actu* approbatis pro monialibus. Quare praesenti Jubilaeo applicari haud posse videtur declaratio S. Poenit. 10 Mart. 1750, vi cujus semel approbatus pro monialibus (sive tanquam ordinarius sive tanquam extraordinarius) eligi potest, licet ejus jurisdictio cessarit, dummodo ob demerita quae ipsas confessiones con-

cernant, ab Ordinario non fuerit positive reprobatus.

4. Neque Religiosi, neque Moniales ad usum hujus privilegii superioris sui indigent licentia.

(16) Absolvendi ac dispensandi facultates.

1. His confessarius, ut supra (12) sub 5 dictum fuit, non nisi in actu confessionis uti potest.

2. Iisdem confessarius favore *ejusdem* poenitentis semel tantum ("*hac vice*") uti valet (S. Poenit. 1 Jun. 1869, et S. C. Indulg. 10 Jul. ejusdem anni).

3. Eas tamen adhibere potest favore poenitentis qui Jubilaeum jam consecutus est, at facultatibus istis nondum indiguit.

(17) Clausula: "in foro conscientiae dumtaxat."

Significat absolvendi facultates pro solo foro interno valere. Quare qui vi Jubilaei absolvitur, coram solo Deo, non vero hoc ipso pro foro externo absolutus habetur. Quamobrem Ordinarius subdito qui se a casu episcopali *publico* vi Jubilaei absolutum asserit, haud necessario credere tenetur. Dixi: "vi Jubilaei." Nam quod casus *papales* attinet, hac Jubilaei facultate non egent, confessarii quibus ab Episcopis Foederatorum Statuum, vi facultatum quas a S. Sede ad decennium aut quinquennium obtinent et quae ne in Ordinario quidem Jubilaeo suspenduntur, potestas facta est (ut fieri solet) absolvendi a

papalibus. Quare, nisi ab Episcopo aliter cautum sit, etiam pro foro externo a papalibus absolvere poterunt.

(18) Casus quos Ordinarii sibi reservarunt.

Etiam ab his, vi Jubilaei, confessarii, pro foro interno, absolvere possunt. Quare etiam eos qui matrimonium coram ministello contraxerunt; qui casus, si forte non in omnibus, certe in fere omnibus dioecesibus Foeder. Statuum, reservatus est. Haec absolutio, licet vi Jubilaei pro solo foro conscientiae valeat, in pene omnibus dioecesibus, Foeder. Statuum, *de facto*, etiam pro foro externo, et quidem ad omnem effectum, valet: paucae enim

etiamnum sunt dioeceses in quibus poenitentes qui in hunc casum inciderunt, absolutioni in foro externo aut publicae poenitentiae subjacent.

(19) Facultas commutandi vota.

Cum Episcopis Foed. Stat. a S. Sede facta sit potestas dispensandi, ex rationabili causa, in votis simplicibus castitatis et Religionis (intrandae scilicet), et haec facultas ab ipsis communicari possit sacerdotibus omnibus in ipsorum dioecesibus laborantibus, exceptio, de qua in Brevi, non tenebit eos quibus Episcopi hanc suam potestatem subdelegarunt. Cave tamen ne concessam tibi, durante Jubilaeo, putes facultatem commutandi vota, licet sim-

plicia tantum, quae in Congregationibus religiosis emittuntur, de quibus vide Moralem nostram, Edit. 4ª, n. 1205 sub VI.

Advertant confessarii quibus ab Episcopis nostris non esset facta facultas dispensandi a votis castitatis et Religionis, vi Jubilaei haec vota commutari posse, si vel una careant ex conditionibus quae requiruntur ut reipsa reservata dici possint. Has conditiones vide, si lubet, in nostra Morali n. 392, q. 3°.

(20) FACULTAS DISPENSANDI AB IRREGULARITATE.

Ab una tantum irregularitate, *vi Jubilaei*, confessarii dispensare valent, ab ea nimirum quae ob censurae alicujus violationem contracta

est (Vide Moralem nostram n. 1771, 1772). Oportet autem ut haec occulta sit. Dico: *vi Jubilaei*: nam etiam hic valent ea quae supra sub (17) de Episcoporum nostrorum facultatibus animadvertimus.

(21) Casus in laudata Bulla excepti.

Quatuor in Bulla: *Sacramentum Poenitentiae*, statuuntur.

a. Confessarii prohibentur absolvere poenitentes ad turpia in confessione (occasione confessionis, etc.) sollicitatos, § 2.

b. Sanctae Sedi reservatur crimen eorum qui innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos judices falso sollicitationis insimulant, vel sceleste procurant, ut id ab aliis fiat, § 3.

c. Sacerdoti cuilibet, extra extremae necessitatis casum, omnis facultas et jurisdictio ad sacramentales confessiones personae complicis in peccato turpi contra sextum decalogi praeceptum commisso, excipiendas adimitur, § 4.

d. Excommunicatio major latae sententiae Romano Pontifici *specialissimo modo* reservata, infligitur iis qui ausi fuerint absolvere complicem in peccato turpi, § 4. Quibus conditionibus Episcopi Foed. Stat. vel alii ab ipsis ad hoc specialiter deputati, etiam durante hoc Jubilaeo, ab hac censura absolvere valeant, vide Moralem nostram, Tom. I. p. lxxi., nota 2, sub b, vel Conc. Plen. Balt. II. p. CXLVI. Decr. I.

Postquam praecedentia typis jam excusa fuerant, ad manus pervenit Fasciculus CLIII ephemeridis " Acta S. Sedis," continens declarationes S. Poenitentiariae, diei 25 Martii a. c., quibus ea confirmantur quae in hoc opusculo trado ex declarationibus circa Jubliaeum ai 1879. En textum declarationum.

Ex S. Poenitentiaria Apostolica.

Sacra Poenitentiaria infrascriptas declarationes, iam alias editas occasione Iubilaei anno 1879 *indicti, etiam pro Iubilaeo vertentis anni* 1881 *de mandato SSmi Domini Nostri Leonis Papae XIII renovat atque confirmat.*

I. Ieiunium pro hoc Iubilaeo consequendo praescriptum adimpleri posse etiam tempore quadragesimae, dummodo fiat extra dies in Litteris Apostolicis exceptos et

adhibeantur cibi tantum esuriales, vetito usu, quoad qualitatem ciborum, cuiuscumque indulti seu privilegii etiam Bullae Cruciatae.

II. Christifidelibus cum Capitulis, Congregationibus, Confraternitatibus nec non cum proprio Parocho aut Sacerdote ab eo deputato Ecclesias pro lucrando Iubilaeo processionaliter visitantibus, applicari posse ab Ordinariis Indultum in Litteris Apostolicis iisdem Capitulis, Congregationibus etc. concessum.

III. Una eademque Confessione et Communione non posse satisfieri praecepto paschali et simul acquiri Iubilaeum.

IV. Iubilaeum quoad plenariam Indulgentiam, bis aut pluries lucrifieri posse, iniuncta opera bis aut

pluries iterando; semel vero id est prima tantum vice, quoad favores eidem Iubilaeo adiunctos, nempe absolutiones a censuris et casibus reservatis, commutationes aut dispensationes.

V. Ad iniunctas visitationes exequendas designari posse etiam Cappellas et Oratoria, dummodo sint publico cultui addicta et in iis soleat Missa celebrari.

VI. Visitationes ad lucrandum Iubilaeum indictas, dummodo praescripto numero fiant, institui posse pro lubitu Fidelium sive uno, sive diversis diebus.

VII. In hoc etiam Iubilaeo locum habere, sine ulla exceptione, resolutiones dubiorum ab ipsa S. Poenitentiaria pro Ordinariis Italiae editas sub die I Iunii 1869.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria die 25 Martii 1881.

A. CARD. BILIO,
POENITENTIARIUS MAIOR.

Hip. Can. Palombi,
S. Poenitentiariae Secretarius

THEOLOGY, ETC.

THEOLOGIA MORALIS Novissimi Ecclesiæ Doctoris S. Alphonsi, in Compendium redacta, et usui Venerabilis Cleri Americani accommodata. Auctore A. KONINGS, C.SS.R. Two vols., royal 8vo, 1080 pages, half morocco, *net*, $6. The two vols. in one, half morocco, *net*, $5. When sent by mail the postage is 50 cents extra.

ELEMENTS OF ECCLESIASTICAL LAW. Compiled with reference to the Syllabus, the "Const. Apostolicæ Sedis" of Pope Pius IX., the Council of the Vatican, and the latest decisions on the Roman Congregations. Adapted especially to the discipline of the Church in the United States, by Rev. S. B. SMITH, D.D., formerly Professor of Canon Law, author of "Notes," etc., etc. With the approbation of His Eminence the Cardinal, Archbishop of New York, and the Right Reverend Bishop of Newark, the Author's Ordinary. 8vo, 479 pages, cloth, *net*, $3. When sent by mail, 30 cents extra.

RITE OF ORDINATIONS. By the Rev. J. S. M. LYNCH, Professor of Liturgy, St. Joseph's Theological Seminary, Troy, N. Y. Containing the text of the Ceremonial of the Catholic Church for the conferring of the great Sacrament of Holy Orders; in Latin for the use of seminarians as well as a literal translation for the use of the laity. 16mo, 214 pages, cloth, red edges, *net*, 75 cents. When sent by mail, 10 cents extra.

FIDEI ET MORUM FUNDAMENTA. Seu Instructio brevis pro omnibus, qui Salutem in veritate quærunt, nec expeditam rei tanti momenti investigandæ opportunitatem habent. Auctore J. VAN LUYTELAAR, C.SS.R. 12mo, 54 pages. cloth, *net*, 50 cents. When sent by mail, 5 cents extra.

COUNTERPOINTS IN CANON LAW. A Reply to the Pamphlet, "Points in Canon Law," and to the American Catholic Quarterly Review of October, 1878. By Rev. S. B. SMITH, D.D. 8vo, 108 pages, paper, *net*, 75 cents.

DE DEO CREANTE, Prælectiones Scholastico-Dogmaticæ, quas in Collegio SS. Cordis Jesu ad Woodstock, Maxima Studorium Domo Soc. Jesu in Fœder. Americæ. Statibus, habebat, A.D., 1876–77. P. CAMILLUS MAZZELLA, S.J. One vol., 8vo, 972 pages, paper, *net*, $3.25; half morocco, *net*, $4.25.

DE GRATIA CHRISTI, Prælectiones Scholastico-Dogmaticæ, quas habebat, A.D. 1877–78. P. CAMILLUS MAZZELLA, S.J., etc. One vol., 8vo, 844 pages, paper, *net*, $2.75; half morocco, *net*, $3.75.

DE VIRTUTIBUS INFUSIS, Prælectiones Scholastico-Dogmaticæ, quas habebat, A.D. 1878–79. P. CAMILLUS MEZZELLA, S.J., etc. One vol., 8vo, 800 pages, paper, *net*, $.2.75; half morocco, *net*, $3.75.

DE RE SACRAMENTARIA, Prælectiones Scholatico-Dogmaticæ, quas in Collegio ad Woodstock, etc., habebat, A.D. 1877–78. P. ÆMILIUS DE. AUGUSTINIS, S.J.

Pars I. De Sacramentis in genere: De Baptismo; De Confirmatione; De Eucharistia. One vol., 8vo, 800 pages.

Pars II. De Pœnitentia; De Ordine; De Extrema Unctione; De Matrimonii. One vol., 8vo, 780 pages, each part, paper, *net*, $2.75; half morocco, *net*, $3.75.

DE MATRIMONIO, Tractatus Quinque usui Venerabilis Cleri Americani accommodata. Appendice adjecta duplici, auctore Illust'mo et Rev'mo D. D. HEISS, Epp. 8vo, 440 pages, half roan, $1.25.

S. IGNATII, EXERCITIA SPIRITUALIA per octo dies et duo Tridua. 8vo, paper, $1.50.

DE IMITATIONE CHRISTI, libri quatuor. Cum Appendice Precationum, collegit et edidit P. C. M. EFFINGER, O.S.B. 48mo, morocco, gilt, $1.05.

AN EXPOSITION OF THE GOSPELS. Consisting of an Analysis of each Chapter, and of a Commentary, critical, exegetical, doctrinal, and moral. By the Most Rev. Dr. MCEVILLY, Bishop of Galway.

Vol. I. STS. MATTHEW AND MARK. Large 8vo, 676 pages, cloth, $4.50.

Vol. II. ST. LUKE. Large 8vo, 248 pages, cloth, $2.25.

Vol. III. ST. JOHN. *In Press.*

STATUTA DIŒCESIS NOVARCENSIS. 1878. Cloth, *net*, $1.

THE RACCOLTA; or, Prayers and Good Works, to which are attached Holy Indulgences. 16mo, 522 pages, cloth, red edges, *net*, 75 cents.

BENZIGER BROTHERS, New York, Cincinnati, and St. Louis.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS

EXTRAORDINARIUM IUBILAEUM INDICITUR


IN USUM CLERI

PRACTICIS NOTIS ILLUSTRATAE.

CURA A. KONINGS, C.SS.R.

NEO-EBORACI,
CINCINNATI, S. LUDOVICI, EINSIDLÆ:
BENZIGER FRATRES,
SUMMI PONTIFICIS TYPOGRAPHI.
1881.




LIBRARY OF CONGRESS
0 028 310 066 2